

lanccolatae, margine superiore sub angulo recto, a costa abeunte, tunc sub angulo obtuso sursum verso, margine inferiore sub angulo recto ad acutum vergente et 2-4 lin. ab exortu in dentem obtusum abeuntes, apice obtusae; lobus terminalis lanceolatus, acutus; caeterum folia sunt supernè virentia, inferne glauca; petiolus alatus, basi utrinque paulò auriculatus. Folia caulina distantia ad ramificationes usque n. 3-4 arrecto-patentia, 3-1 poll. longa, 6-2 lin. lata, pinnatipartita, basi valde cordata, auriculis relativè maximis, rotundato-ovatis-6 lin. longis, 4 lin. latis. Ad medium caulis in axi foliorum jam descriptorum et adhuc minorum, lineari-pinnatifidorum, cordatorum in ramos abit e quibus inferiores-pedem et ultra longi, superne corymbo simplici, vel rarius composito terminati, 4-5 foliis parvis instructi sunt, e quibus inferiora 1 poll. longa, pinnatifida, cordato-auriculata, superiora 6-3 lin. longa, pinnatifida, vix auriculata vel potius sessilia, transitum in squamas perficientia lanceolatas, acutas, subintegras, 3-1 1/2 lin. longas in quorum axi pedicelli oriuntur. Rami 3-4 sequentes minores, foliis 2-1 muniti, corymbo simplici oligocephalo terminati. In speciminibus minoribus, qualia e. g. icon nostra refert, ramus inferior 2 poll. longus, nudus, bicephalus, ad bifurcationem foliolo lanceolato, dentato, subauriculato munitus. Pedicelli robusti sine capitulis 1/4-1 poll. longi, nudi vel squama muniti ovato-lanceolata, acuta, sub capitulis paulo dilatati. Capitula sat speciosa, permultiflora, post anthesin *cernua!* INVOLUCRUM hemisphaerico-campanulatum, demum inferne spongiosum, 4-5 lin. altum, squamis exterioribus triangulari-ovato-oblongis, herbaceis, acutiusculis, 1-2 1/2 lin. longis, 1-5/4 lin. latis, infimis basi concretis, sequentibus 3-4 1/2 lin. longis, 1-1/2 lin. latis, linearibus, magis scariosis, acutiusculis, omnibus dorso minutissime puberulis. RECEPTACULUM 3 lin. fere diametro metiens, nudum, areolatum, areolarum margine paulisper elevato, sed non tantopere ut foveolatum vocari possit. FLORES aurei, *glabri*, involucrum superantes. ACHÆNIA, non penitus matura, oblongo-obovata, compressa, striata, glabra, nec muricata, brunnea esse videntur, analogia achæniis *S. radicati*. PAPPUS niveus, caducus, subuniserialis, more *S. radicati* pappi, sed setis non tam falcatis, et majoribus denticulatis, numerosioribus.

Obs. Omnes Cichoriaceae vulneratae succum fundunt lacteum, in gummi sic dictum coagulans, praecipue *Sonchi*, non vero praee aliis species nostra, quare nomen *Linkii* specificum non characteristicum.

EXPLICATIO TAB. 129.

1 et 2. Specimen parvum magnitudine naturali. 3. Achænium cum pappo et flore auctum.

10. SONCHUS BRACHYLOBUS. WEBB!

S. fruticosus, glaber; foliis pinnatifido-lyratis, margine denticulatis, sinus integerimis, lobo terminali magno deltoideo, lateralibus paucis (1-3) rotundato-hemisphaericis, petiolo alato costâ crassâ percurso, basi non protracto, rameis ovatis, cordatis; involucri imbricati squamis adpressis; floribus apice dentibus elongato-linearibus munitis; achæniis oblongis, striatis, glabris; pappo subpersistente, niveo, setis majoribus denticulatis, minoribus subintegris.

Synonyma nulla. An *Sonchus laevigatus* β *lyratus*. DC., *Pr.*, 7, p. 188?

HAB. In rupestribus maritimis elatis loco dicto la *Cuesta de Silva* ins. *Canariæ* : Despréaux.

Hujus speciei specimina ad margines sylvæ *Doramas* lecta viva in Britanniam misi. Confer iconem inedit. hort. Milford. *Sonchum* (*Dendrosonchum*) fruticosum (squarrosum DC.) foliis refert, sed involucri squamæ longe diversæ : Webb ! in Litt.

DESCR. Sec. specimina manca in *Cuesta de Silva* *Canariæ* lecta, cum quibus iconem hort. Milford. supra citatam comparavi.

Fruticosus, glaber, ut videtur similis, dichotome ramosus, inferne 5 lin. diametro metiens; lignum sordide albens, anariusculum; cortex in plicas longitudinales elevatus, cinerascens, verrucisque ab insertione foliorum delapsorum orientibus notatus. More affinium pedunculus herbaceus in rami apice oritur inferne foliatus, post achæniorum maturitatem marcescens. Folia consistentiæ sat magnæ, carnosula, infra glaucescentia, 2-3 poll. (in specimine in horto Milford. culto -7 poll. longa), 2 poll. superne lata, superne $5\frac{1}{4}$ - $7\frac{1}{4}$ poll. lata, lyrata, pinnatifida, lobo terminali deltoideo, maximo, pl. $1\frac{1}{2}$ poll. longo, et inferne totidem lato, apice et angulis obtuso, subsinuato, denticulis raris vix emergentibus notato, lateralibus paucis, utrinque 1-2 ad summum 3 rotundato-hemisphæricis, 2-6 lin. longis, totidemque latis, rotundatis, denticulisque raris munitis, inferne decrecentibus et tandem in petiolum anguste alatum 1-2 lin. latum excurrentibus, costa crassa albente percursum, basi paulo dilatata, non verò margine protracta. Superne pedunculus communis (caulis) corymbo simplici terminatur, cujus rami in axi foliorum oriuntur, inferioribus similium, sed cordatorum, auriculis rotundatis, magnis. FOLIA hæc ramea $1\frac{5}{4}$ poll. longa, 7-10 lin. lata, ovato-oblonga, integra et tantum denticulis supra notatis raro munita. Pedicelli speciminis mei monocephali 5-10 lin. longi, inferior parte inferiore foliolis munitus 4-6 lin. longis, 4 lin. latis, ovato-rotundatis, cordatis, vix denticulatis, in quorum axi capitula rudimentaria oriuntur; reliqui sunt nudi, vel squamula muniti. CAPITULA semper erecta, sat speciosa. Involucrum hemisphærico-campanulatum, 6-7 lin. altum, imbricatum, squamis numerosissimis, acutis, adpressis, post achæniorum maturitatem reflexis, exterioribus ovato-oblongis, obscure virentibus, foliaceis, internis linearibus, angustis, + — scariosis, pallidis, mediis subduplo longioribus. RECEPTACULUM $1\frac{3}{4}$ lin. diametro metiens, planiusculum, nudum, areolatum. FLORES aurei, involucri longiores, ad tubum pilis articulatis, apice dentibus 5 elongato-linearibus muniti. Anthere et styli more affinium. ACHÆNIA oblonga, $5\frac{1}{4}$ lin. longa, superne $\frac{1}{3}$ lin. lata, robusta, compressa, utrinque præcipuè verò inferne attenuata, castanea, longitudinaliter striata, glabra, non granulata. PAPPUS subpersistens, niveus, 2 lin. et ultra longus, setis pluriserialibus, numerosissimis, nonnullis majoribus crassioribus denticulatis, plerisque tenuissimis, subintegris.

Obs. Iconem hujus speciei in horto Milfordiensi culti habeo caule pedali, inferne $\frac{1}{2}$ poll. diametro metiente, ad medium dichotomè in ramos abeunte. apice foliis jam descriptis confertis munito, extrorso-retrorsis.

11. SONCHUS PINNATUS. HORT. KEW.

S. fruticosus, glaber; foliis pectinato-pinnatipartitis, pinnis cum lobo terminali acutis, minute denticulatis, sessilibus; pedunculo subnudo; corymbo subumbellato, supradercomposito, pedicellis subbracteatis; capitulis semper erectis; involucri campanulati squamis